



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

CVIII. Instauratio urbis & Templi Solymæi sub Zorobabele & Nehemia
Ducibus. Esdra Sacerdote & legis Doctore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

NARRATIO CVIII.
**INSTAURATIO
 URBIS ET TEMPLI
 SOLYMÆI, SUB ZORO-
 BABELÈ ET NEHEMIA DU-
 CIBUS, ESDRA SACERDOTE,
 ET LEGIS DOCTORE.**

Ex libris Eſdræ.

Ab anno Mundi 3517. ante Christum 536. ad
 ann. 3629. ante Christum 424. quo anno
 defunctus est Nehemias.

CUm anno M. 3517. ante Christum 536. per-
 mittente *Cyro*, quinquaginta Hebræorum
 millia, duce *Zorobabele*, *Salathielis* filio, in Ju-
 dæam reversi, templum instaurare cœpissent; *Cam-
 byses*, Cyri filius, & successor, anno M. 3524. ma-
 levolorum criminationibus inductus, vetuit in æ-
 dificando pergere. Donec circa annum M. 3532.
 successit *Cambyſi Darius*, cognomento *Hystaspides*,
 [quia *Hystaspe* genitus] equi hinnitu ad imperium
 provectus, anno M. 3534. rebellantem *Babylonem*,
 post novendecim mensium obsidionem expugnavit,
 operâ *Zopyri*, unius è septem Persarum præcipuis
 Satrapis; qui Principis amantior, quàm sui, nari-
 bus sibi, auribusque foedè defectis, simulatô à Persis
 transfugiô, dux Babyloniorum factus, copias Darij
 per proditionem, in urbem recepit. Ferro flam-
 maque sævitum in rebelles; muri, portæque civi-
 tatis

M m

tatis dejectæ, è Babylonijs proceribus tria millia pæ-
tibulis affixi. Cæterùm Darius *Zorobabelis* Hebræo,
qui erat è corporis custodibus, in disputatione de re
omnium fortissima [cum alius vini robur, alius re-
giæ dignitatis potentiam extulisset; & mulierum
quoque potestas in quæstionem venisset] veritatis
vires præferenti, assensus est, ei que in sapientiæ &
ingenij certamine [nam duo alij è prætorianis stipato-
ribus, æquè Judæi, cum contribuli suo *Zorobabele*,
de problemate disceptabant] palmam adjudicavit.

Susis, Persarum metropoli, tunc agebat *Darius*,
adeò *Zorobabelis* obsequijs, & insigni prudentiâ cap-
tus, summis ut eum favoribus dignatus, jussit non
timidè petere, quidquid collibuisse. Ille Regi
votum in mentem revocat, de Jerosolyma instau-
randa editum. Rex promissis respondet cumulatè;
restituit, quidquid adhuc vestium, & vasorum sa-
crorum, ex Babylonio spoliario supererat; man-
datque in urbis & templi reparationem, ac sacrifici-
orum apparatus, ingentes fieri sumptus; eximij
insuper immunitatibus, & privilegijs in Judæos col-
lati. Repensa cœlitus munificentia. Rex trigin-
ta sex annorum felix imperium habuit: filium *Xerxem*
& successorem, Regum potentissimum, reliquit.
Interea Judæa suis ex ruinis resurgit. Annitente po-
tissimùm *Zorobabele* strenuè laboratur in educen-
do Solymæo templo. Manus ultima imposita est,
cum solennibus inaugurationis ritibus, anno Mun-
di 3537. ante Ch. 516. postquam sexennium ædifi-
cationi impensum. utique foedè Hallucinantibus
Judæis posteris, qui solita vanitate quadraginta sex
annos, in eo labore consumptos, objectabant Chri-
sto,

to, Ioan. 2. Quam aliqui supputationem ut tue-
 untur, tempus extructionis ordiuntur à Cyro, qui
 potestatem fecit ædificandi, & interlapfa annorum,
 operisque intermissi spatia continuant.

Iam sub annum M. 3609. ante Christum 444.
Nehemias, pincerna Regis *Artaxerxis* cognomento
Longiman [Sacra historia Assuerum nominat] res Iu-
 daicas Iudæus ipse, multum provexit, tum suis a-
 pud Regem meritis, tum *Estheris* maximè reginæ,
Mardocheique gratiâ potens. nova per eum subsidia
 instaurandæ Ierosolymæ impetrata, & magnis im-
 pensis constantia.

Reparationem urbis nobilissimæ, iniquis aspexe-
 runt oculis Samaritæ vicini, recrescentem veriti po-
 tentiam, non minùs sibi, suisque timendam poste-
 ris, quam majoribus olim formidandam. Statue-
 runt igitur operas improvise opprimere, & vi disij-
 cere, quod criminationibus ad Persarum Reges [plu-
 rimum enim fuit annorum odium] delatis, non po-
 terant. Haud fefellerunt *Nehemiam* hostium consilia;
 muris igitur speculatores impositi, armatorum præ-
 sidia constituta, qui irruentes non imparati excipe-
 rent. Arma quoque disposita, ut essent in promp-
 tu, trullam cum gladio permutaturis.

Cæterum ea laborantium contentione promo-
 tum est opus, ut intra dies, non amplius quinquaginta
 duos, mœnia fuerint perfecta, tanta firmitu-
 dine, quæ Romano Imperio possit obsistere. Quod
 & miraculis DEUS insignivit. nam & ignis sacer,
 multis abhinc annis sub terra reconditus, & in a-
 quam crassam conversus, iterum ex undis emicuit,
 & prodigiû geminavit. *Arca* quoque Iudaicæ religiõis

sacrum penetrale , cum tabernaculo , & Altari in-
 censi , à Ieremia defossa , summa cum omnium læ-
 titia est reperta , Iudæis ex divino munere , divini
 subsidij instaurationem sperantibus. Sanè Nehemi-
 as ob reparatam tanta celeritate urbem meruit , ut
 patriæ pater , & Solymorum conditor nuncupetur.
 Is Iudæorum republica , divino cultu , honore tem-
 pli , Sacerdotum & Levitarum ministerijs , legitimis
 conjugijs , cæterisque ex divina lege compositis at-
 que restitutis , seniô , curisque confectus , gloriosum
 vivendi finem fecit , dignus æternâ seculorum me-
 moriâ.

Magnorum operum ei præclarus adjutor extitit
Esdra sacerdos , qui inclaruit circa annum Mundi
 3595. ante Christum 459. Gratosum *Assuero* Regi
 reddidit , excellens juris humani , divinique peritiâ ,
 cum spiritu fatidico conjuncta. Impetratâ ex Au-
 la missione , cum plurimis popularium , summæque
 potestatis auctoritate , petijt Hierosolymam , regiâ
 secum munera deferens , in DEI cultum destinata ab
Assuero , religioni non minùs Iudaicæ , quàm genti ,
 favente. Vir fuit , si quisquam alius , honoris di-
 vini , bonique publici propagandi studiosus ; prolap-
 sos civium suorum mores plurimùm emendavit , &
 ad primam legis normam revocavit. Linguam
 Hebraicam ad majorem copiam , elegantiamque re-
 duxit , & characteres novos invenit , etiam hodie
 usurpatos. Insignem Ierosolymis bibliothecam in-
 struxit ; Sacros libros undique diligenter conqui-
 vit , & varias eorum partes , quasi in unum corpus
 compegit ; depravata correxit , recensuit , renova-
 vit ; quæ deerant , supplevit. Atque hæc , ferè

sub Regibus *Cyro*, *Cambyse*, gemino *Dario* & *Artaxerxe* Longimano, Iudæorum fortuna fuit; cujus incrementis quam coronidem addiderit Regina *Esther*, Assueri conjunx, sequenti narratione exponemus.

NARRATIO CIX.

AMANIN PATIBULO.

Ex Libris *Esther*.

Ab Anno Mundi 3596. ante Christum 457. ad ann. Mundi 3602. ante Christum 451.

XERXES Darij Hyftaspidis filius, paterni regni atque odij in Græcos homines hæres, junctò navibus Hellefpono, Athòque monte perfossò, epotis omnibus Græciam cum armatorum mille millibus invaserat: quò deinde per *Artabanum*, satellitum regionum præfectum obtruncatò, successit *Artaxerxes*, appellatus *Longimanus* à prominentia dextræ: vel, ut alij volunt, à manuum longitudine tanta, ut stans & erectus, genua, digitorum articulis contingeret, filius Xerxis illius magni, natu minor. Hic Artaxerxes, alio nomine *Assuerus* clarus extitit *Estheris*, conjugio. Hanc formæ decus, ex nobili Judæorum familia, captivam tamen, in repudiata *Vasthis*, uxoris *Assueri*, locum subvexit. Laude digna forma, quæ regnum peperit; sed multò dignior animi venustas, quæ DEO quoque in delicijs habita, Judæis, popularibus suis salutem attulit. Res ita contigit.